

LECANOREÆ ET LECIDEEÆ

AUSTRALIENSES NOVÆ

QUAS DESCRIBIT

D^r J. MÜLLER

1. **Lecanora atra** Ach. v. **serialis** Müll. Arg.; granula thalli distincte et subdistincte in series radiantes et subreticulatim junctas disposita. — Saxicola in Thursday Island, Queensland: Knight n. 268.

2. **Lecanora subfusca** Ach. v. **conjungens** Müll. Arg.; thallus sat tenuis, firmus, creberrime rimulosus, cæterum lævis, nigro-limitatus; apothecia demum majuscula, margo demum undulatus, discus siccus niger; lamina superne virens. — Thallus tenuior et lævior quam in var. *atrynea* et v. *gangalea*, apothecia demum ut in var. *atrynea*, sed nigra, madefacta tamen pro parte fuscescentia. — Saxicola in Thursday Island Queenslandiæ, cum v. *gangalea*.

3. **Lecanora albellaria** Müll. Arg.; thallus albus, granularis; granula in hypothallo haloniformi albido sita, conferta et subsparsa, obtuse angulosa, convexa, superficie firma; gonidia globosa, diametro 8-10 μ . æquantia; apothecia $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{5}$ mm. lata et minora, sessilia, dense sparsa; margo cum thallo concolor et integer lævisque (v. demum obsolete rugulosus), semper prominens, obtusus; discus concavus v. concaviusculus, albido-pallidus v. dein nonnihil fulvescenti — carneus, nudus; epithecium hyalino-fulvescens, interiora reliqua hyalina; sporæ 8-næ, circ. 13 μ . longæ, 7 $\frac{1}{2}$ μ . latæ, oblongo-ellipsoideæ. — Primo intuitu fere *L. albellam* aut *L. cæsisio-rubellam* Ach. simulat, sed thallus est granulosus et apothecia fere gyalectina. — Corticola in Queenslandia: Knight n. 324.

4. **Lecanora subumbrina** Müll. Arg.; thallus subfumoso-cine-reus, tenuissimus, sat crebre granulati-rugulosus, peripheriam effusam

versus lævis; apothecia dense sparsa, $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{2}$ mm. lata, sessilia, regularia, planiuscula; margo tenuis, ex integro demum subacute granulati-coronulatus; discus e plano leviter convexus, obscure carneo-pallidus v. fuscus v. pallide fuscus, nudus; epithecium fulvo-fuscidulum, interiora cæterum hyalina; sporæ 8-næ, elongato-ellipsoideæ, 17-22 μ longæ, 5-6 μ latæ, utrinque rotundato-obtusæ, longiusculo tractu æquilatæ. — Haud male *L. umbrinam* Mass. primo intuitu refert, sed apothecia peculiariter coronulata et sporæ ambitu valde elongatæ sunt. — Corticola in New South Wales: Knight n. 10 pr. p. et 50.

5. **Lecanora melacarpella** Müll. Arg.; thallus obscure cinereus, tenuis, continuus, subtilissime areolato-rimulosus et rugulosus, margine effusus; apothecia $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{4}$ mm. lata, sessilia, regularia; margo cum thallo concolor, tenuis, dorso tuberculoso-asperulus, subcrenatus, vix ultra discum prominens; discus siccus et madefactus niger et nudus, e plano demum convexus; epithecium olivaceo-fuscum, lamina cætera undique hyalina; sporæ 8-næ, 10-12 μ longæ et 6-7 μ latæ, ellipsoideæ. — Juxta *L. phæocarpam* Müll. Arg. locanda est, a qua recedit thallo non granoso et apotheciis paullo majoribus, madefactus non olivaceo-pallentibus. — Saxicola, in Thursday Island Queenslandiæ: Knight n. 279.

6. **Lecanora Knightiana** Müll. Arg.; thallus ochroleuco-albus, medioeris, limitatus, ex integro mox crebre minute rimulosus, cæterum superficie planus; apothecia 1 $\frac{1}{2}$ mm. lata et minora, adpresso-sessilia; margo thallinus discum planum vix superans, dorso gibberoso-inaequalis, intus subtiliter undulatus et lævis; discus fulvo-rufus et nudus; epithecium fulvo-fuscidulum v. subhyalinum, reliqua hyalina; sporæ 8-næ, 8-15 μ longæ, 6-8 μ latæ, ellipsoideæ, vulgo ambitu latæ. — Est species insignis, fere erythrocarpica, juxta subsimilem *L. continuam* Kn. locanda, a qua statim recedit thallo crebre rimuloso et dein sporarum ambitu non elongato. Interdum apothecia haud male illa referunt *Lecaniæ puniceæ* — Saxicola, in Thursday Island Queenslandiæ: Hartmann (a cl. Dr Knight sub n. 213, 234, 258, 271 cum aliis numerosissimis benevole missa), et prope Brisbane: Bailey n. 198.

7. **Lecanora flavido-fusca** Müll. Arg.; thallus flavidus, tenuis et continuus, primum lævis, dein crebre rugulosus v. etiam granoso-rugulosus, ambitu linea nigra limitatus; apothecia $\frac{1}{2}$ - $\frac{2}{3}$ v. raro $\frac{3}{4}$ mm. lata, sessilia, plana; margo flavidus et integer, crassiusculus, obiter prominens; discus planus, fulvescenti-fuscus et nudus; epithecium flavido-fuscescens, lamina cæterum undique hyalina; sporæ 8-næ, 10-13 μ longæ, 7-9 μ latæ, lato — et subgloboso — ellipsoideæ. — Prope *L. flavido-pallentem* Nyl.

inserenda est. Apothecia fere ut in *L. subfusca* v. *glabrata* Ach., sed thallus et margo apotheciorum flavidi et discus nonnihil fulvescens. — Corticola, ad ramos juniores prope Toowoomba Queenslandiæ: Hartmann, Knight (sine numero).

8. **Lecania** (s. **Semilecania**) **chlaronoides** Müll. Arg.; thallus cinereo-albidus, fere haloniformi-tenuis, subcontinuus, subtiliter granulatus, ambitu effusus; apothecia $\frac{1}{2}$ -1 mm. lata, sessilia, plana; margo tenuis, leviter prominens, ex integro demum granuloso-crenatus; discus pallido-fuscus, nudus, semper planus; epithecium flavescenti-fuscidulum; hypothecium flavo-hyalinum; sporæ in ascis 8-næ, 16-17 μ longæ, 5-6 μ latæ, elongato-ellipsoideæ. — Prima fronte fere *Lecanoram subfuscam* v. *chlaronam* Nyl. simulat, sed sporæ sunt omnino aliæ. Juxta *Lecaniam molliusculam* Müll. Arg., e Victoria, locanda est. — Corticola, New South Wales: Dr Knight n. 43 pr. p. (ibi *Lecaniæ puniceæ* Müll. Arg. admixta).

9. **Lecania** (s. **Semilecania**) **selenospora** Müll. Arg. Lich. Sebast. n. 7, var. **leprosa**; thalli areolæ superficie demum plicatulo-leproseæ et leproso-contiguæ. — Ad saxa arenacea, Victoria: Wilson n. 1741.

10. **Lecania** (s. **Eulecania**) **subsquamosa** Müll. Arg.; thallus albidus, crassiusculus, rugulosus et molliusculus, superficie lævis, ambitu effusus; apothecia sessilia, $\frac{3}{4}$ -1 mm. lata, plana; margo albidus, intus subangulosus, vix prominens; discus planus, nigro-fuscus, nonnihil albedo-pruinosis; lamina persicino-rubens, apice fusca; hypothecium et receptaculum intus alba; sporæ 4-8-næ, naviculari-semilunares, utrinque obtusæ v. obtuse attenuatæ, 1-4-loculares, circ. 18-21 μ longæ, 5 $\frac{1}{2}$ μ latæ. — Corticola, in Mount Mueller Australiæ ad 4500 ped. ab egreg. Ch. French jun. inter alia parcissime lecta et a Bar. Ferd. v. Mueller missa.

Obs. Eadem ratione etiam *Lecania fabacea*, sc. *Lecanora fabacea* Müll. Arg. Lich. Exot. n. 57, juxta *Lecaniam selenosporam* inserenda est, sporas enim iterum examinatas etiam 1-2-4-loculares, non solum uniloculares observavi. — Nonnihil species varias *Platygraphæ* simulat, sed gonidia vulgaria, simplicia.

11. **Calloposma cerinum** Mass. v. **microcarpum** Müll. Arg.; apothecia tantum $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{3}$ mm. lata; margo flavescenti-albidus; discus flavescenti-aurantiacus. — Exiguitate et colore pallidiore apotheciorum distinctum. — Corticola, Victoria: Knight n. 205.

12. **Rinodina diffractella** Müll. Arg.; thallus cinerascenti-fuscus, minute areolato-diffractus; rimulæ nigre; areolæ $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{6}$ mm. latæ, tetra-

pentagonales, planæ et tenues, nitidulæ; apothecia primum innata et areola ipsa spurie marginata, dein sensim emergentia et margine thallino subregulari et subintegro cincta, circ. $\frac{1}{2}$ mm. lata; discus planus, orbicularis et subangulosus, niger et nudus; epithecium nigro-fuscum; hypothecium hyalinum; sporæ 8-næ, 7-10 μ longæ et $4-4\frac{1}{2}$ μ latæ, 2-loculares. — Nulli cognitarum nisi brasiliensi *R. diffractæ* Müll. Arg. similis et affinis, sed nostra nova est valde microspora — Saxicola, Queensland : Shirley n. 1908.

13. *Pertusaria* (s. *Lecanorastrum*) *rhodotropa* Müll. Arg.; thallus ex albido mox cum verrucis roseo-purpurascens, mediocris, rugosus, superficie cæterum lævis, ambitu determinatus, molliusculus; verrucæ circ. 1 mm. latæ, copiosæ, confertim sparsæ, elatæ et tumidæ, hemisphæricæ, ambitu regulares aut subundulato-inæquales aut pro parte obtuse verrucosæ, vertice ulcerato-truncatæ et circa discum acute marginatæ, mono-dicarpicæ; discus demum nudus et rufo-carneus; sporæ in ascis solitariæ, circ. 125 μ longæ et 38 μ latæ, elongato-ellipsoideæ, intus læves. — Natura submollis thalli ut in *L. velata*, verrucæ ut in *P. subvaginata*, sed pro parte dicarpicæ et discus longe obscurior, color partium autem ut in brasiliensi *P. purpurascente* Müll. Arg., ubi dispositio verrucarum alia. — Corticola, in Queenslandia : Knight n. 30, 32 pr. p., 307, 308 pr. p., 309.

14. *Pertusaria* (§ *Pertusæ*) *plicatula* Müll. Arg.; thallus stramineo-flavicans, tenuis, continuus et lævigatus, nitidulus, mox rimosus et plicato-rugosus; verrucæ circ. 1 mm. latæ, hemisphæricæ, basi constrictæ, apice truncatæ et centro modice irregulariter undulato v. plicato depressæ, pluriostiolatæ; ostiola parva, circ. 3/100-8/100 mm. lata, haud impressa nec emergentia, subnigra; sporæ binæ, elongato-lineares, circ. 110 μ longæ et 35 μ latæ, intus læves. — Est affinis africanæ *P. xanthothelice* Müll. Arg., a qua recedit thallo magis stramineo, ostiolis non mamillari-emergentibus et sporis majoribus. Similis *P. undulata* Müll. Arg. ex eadem regione differt verrucis. — Corticola, Queensland : Knight n. 41 pr. p.

15. *Pertusaria* (§ *Pustulatae*) *elliptica* Müll. Arg.; thallus albus, tenuissimus, lævigatus; verrucæ discretæ, ellipsoideo-hemisphæricæ, circ. $1\frac{1}{3}$ mm. longæ et $\frac{3}{4}$ v. $\frac{1}{3}$ mm. latæ, regulares et læves, basi non constrictæ, obtusæ, superne haud truncatæ, in centro subconfluentim 2-5-ostiolatæ; ostiola subnigra, exigua, pro parte majuscula, confluentia, haud emergentia; sporæ in ascis 4-næ, circ. 85 μ longæ et 32 μ latæ intus valide plicato-costulatæ. — Juxta *P. nitidulam* Müll. Arg. locanda,

at variis recedens, verrucæ parallele oblongatæ, basi non sensim in thallum abeuntes et angustiores, sporæ aliæ. — Ad ligna vetusta in Queenslandia : Shirley n. 1754 pr. p.

16. **Pertusaria** (§ **Pustulatæ**) **leucostoma** Müll. Arg.; thallus argillaceo-albidus, tenuis, e continuo rimosus et demum subparallelo-rugulosus; verrucæ 1 mm. latæ et paullo minores, distinctæ aut geminatim connatæ, sessiles, nano-pyramidales, circumcirca a basi recte-lineatim breviter conico-attenuatæ, regulares, apice haud truncatæ, primum ostioli 1-3 approximatis v. confluentibus ornatae, dein ibidem in disculum $\frac{1}{5}$ mm. latum, album, pulverulentum, convexum et distincte emersum abeuntes; thalamia sæpe 4; sporæ in ascis 4-8-næ, uniseriales, circ. 70 μ longæ et 25 μ latæ, intus subtiliter plicato-costulatæ. — Prope *P. goniosoma* Müll. Arg. locanda, sed nulli arcte affinis. Verrucæ quoad formam ut Pyramides ægyptiæ, apice late emerso-leucostomaticæ. — Corticola, prope Toowoomba in Queenslandia : Hartmann.

17. **Pertusaria** (§ **Depressæ**) **leiocarpella** Müll. Arg.; thallus fuscescenti-cinereus, tenuissimus, rimulosus, rugulosus v. demum ruguloso-granularis, superficie ipsa bene lævigatus; verrucæ $\frac{1}{2}$ - $\frac{3}{5}$ mm. latæ, sessiles, depresso-hemisphæricæ, ambitu regulares et obtuse gibbosæ, basi leviter constrictæ, vertice late truncatæ, medio late sed leviter depresso-concavæ, circa depressionem late et obtuse marginatæ, totæ cum thallo concolores et tota superficie polito-lævigatæ, circ. 3-5- carpicæ; ostiola vulgo in unum centrale late mamillare confluentia; sporæ in ascis 4-6-næ, circ. 70 μ longæ et 32 μ latæ, intus læves. — Prope capensem *P. variolosam* Müll. Arg. inserenda est, at verrucis et sporis minoribus et superficie partium diversa. — Corticola, Queensland : Knight n. 11.

18. **Pertusaria** (§ **Depressæ**) **subrigida** Müll. Arg.; thallus stramineo-flavus, undulato-inæqualis, superficie lævigatus; verrucæ 1-1 $\frac{4}{5}$ mm. latæ, turgidæ, basi leviter constrictæ, ambitu sat regulares et lævigatæ, vertice anguste impresso-concavæ, circa cavitatem in centro ostiola conferta pallida gerentem late et obtuse marginatæ; sporæ in ascis 5-8-næ, circ. 90 μ longæ et 37 μ latæ, intus læves. — Similis *P. rigidæ* Müll. Arg. (quæ rectius ad § *Leioplacarium* referenda est), sed verrucis apice distincte depresso-concavis et ostioli non oblongatis differt. Proxima et similis *P. schizostoma* Müll. Arg., ex insula Socotra, ab hac nova specie differt verrucis madefactis sub valida lente celluloso-areolatis et sporis minoribus intus lævibus. *P. xanthodes* Müll. Arg. dein differt sporis binis et verrucis multo minoribus. — Corticola, Brisbane : Bailey, n. 1870.

19. **Pertusaria** (§ **Leioplacæ**) **leucoxantha** Müll. Arg.; thallus albido-flavicans, mediocris, continuus, demum leviter rimulosus, superficie levis; verrucæ 1 mm. latæ v. leviter minores, hemisphæricæ, basi limitatæ, apice non depressæ, læves aut obsolete gibbosæ, cum thallo concolores; ostiola 1-4, nigra, approximata, haud prominula nec impressa; sporæ uniseriatim 8-næ, circ. 60 μ longæ et 27 μ latæ, intus læves. — Inter *P. socotrinam* et *P. canthoplacam* Müll. Arg. inserenda et posteriori affinior est, at prima fronte colore omnium partium alio, fere albido, at statu madefacto bene flavente, et thallo juniore continuo, nec areolato-rimoso distincta est. — Saxicola, in Thursday Island Queenslandiæ septentrionalis : Knight, n. 280.

20. **Pertusaria** (§ **Leioplacæ**) **schizostomella** Müll. Arg.; thallus cinereo-albidus v. nonnihil flavescens-cinereus, tenuissimus, obsolete rugulosus; verrucæ $\frac{3}{4}$ ($\frac{1}{2}$ -1) mm. latæ, discretæ, orbiculares, nano-hemisphæricæ, subindistincte rugulosæ et læves, apice late rotundato haud truncatæ, 2-6-carpicæ, apice vulgo uni-ostiolatæ; ostiola fusca in unum exiguum stellari 3-4-lobulatum aut in rimulam exiguam transversalem abeuntia; sporæ in ascis 2-næ, circ. 105 μ longæ et 37 μ latæ, intus tenuiter plicato-costulatæ. — Juxta *P. Woolsianam* Müll. Arg. locanda est, cujus verrucæ aliter ostiolatæ et sporæ aliæ. Ostiola confluentia ut in § *Pustularum*, sed ostiolum commune non maculiformi-dilatatum et verrucæ demum subtiliter astroidea apparentes. Verrucæ minores quam in *P. tetrathalamia* Nyl. — Corticola, New South-Wales : Knight, n. 31.

21. **Pertusaria** (§ **Leioplacæ**) **leucothelia** Müll. Arg.; thallus cum verrucis albus, punctato-vestigialis aut evanescens; verrucæ 1 mm. latæ et paullo minores, globoso-hemisphæricæ, basi constrictæ, subregulares, sparsim ostioligeræ; ostiola pallide fusca, haud impressa, nec emersa; sporæ in ascis 4-næ, circ. 75 μ longæ et 33 μ latæ, intus valide plicato-costulatæ. — A subsimilibus *P. albissima* et *P. candida* Müll. Arg. jam verrucis minoribus, basi constrictis, superficialibus et sporis intus valide costulatis recedit. Proxima *P. peliostoma* (Ach.) Müll. Arg. dein offert ostiola alia. — Corticola in prov. Victoria : Knight, n. 174.

22. **Pertusaria** (§ **Leioplacæ**) **microspora** Müll. Arg.; thallus cum verrucis albidus v. levissime stramineo-albus, tenuissimus, lævis, opacus, demum hinc inde subareolatim evanescens; verrucæ circ. 1 mm. latæ v. paullo minores, discretæ, hemisphæricæ, regulares, lævigatæ, subpolitæ, 2-5-carpicæ, apice non depressæ, uni-pauciostiolatæ; ostiola exigua, fusco-pallida, haud emergentia, demum paullo impressa; sporæ

in ascis uniseriatim octonæ, circ. 30-35 μ . longæ et 15-19 μ . latæ, latiuscule ellipsoideæ, intus læves. — A *P. leioplaca* v. *octospora* Nyl differt minutie verrucarum et sporarum, verrucis politis magis regulariter hemisphæricis. Habitu dein ad *P. nitidulam* et *P. gibberosam* Müll. Arg. accedit. — Inter *P. mundulam* Müll. Arg. (e Brasilia) et *P. syngeneticam* locanda. — Corticola in prov. Victoria, ad Loutit-Bay : F. v. Mueller, Mt Erica : French, Upper Yarra : French, Mount Mueller : French.

23. **Pertusaria** (§ **Leioplacæ**) **amblyogona** Müll. Arg.; thallus stramineo-flavicans, rimoso-areolatus, ulcerosulus, superficie cæterum lævis; verrucæ circ. 2 mm. latæ, depresso-hemisphæricæ, convexæ, basi constrictæ, ambitu late et obtuse irregulariter 6-8-gonæ, non verrucosæ, totæ obiter ulceroso-punctatæ et thallo leviter albiores; ostiola parum distincta, sulphurea, haud emergentia; sporæ 1-2-seriatim 8-næ, circ. 70 μ . longæ et 32 μ . latæ, intus læves. — Species peculiaris. Verrucæ prima fronte compositæ et arctissime conglomeratæ apparent, at tamen simplices sunt, loculi 4-6 in sectione horizontali obovoidei latere angustiore (sectionis) erga centrum convergunt. Nulli arcte affinis est. — Corticola, Toowoomba in Queenslandia : Hartmann.

24. **Pertusaria** (§ **Irregulares**) **irregularis** Müll. Arg.; thallus albidus v. levissime flavescens-albidus, mediocris; verrucæ irregulares, turgidæ, magna pro parte vario modo in crustam interruptam crassam nigro-ostiolatam connatæ; ostiola haud depressa nec emersa; sporæ geminatæ (raro et solitariae), elongatæ et læves, circ. 100-125 μ . longæ et 30 μ . latæ. — Valde accedit ad *P. javanicam* Müll. Arg., ubi sporæ 2-4-næ, demum ambitu latiores et intus plicato-costulatæ. A *P. Antinoriana* Jatta autem, cui etiam proxima, differt sporis nunquam ultra 2 in ascis (non 4-8) et verrucis magis turgidis, non depresso-nanis. — Corticola, in Thursday Island Queenslandiæ : Knight n. 31 pr. p., 41 pr. p.

25. **Pertusaria** (§ **Seriales**) **straminea** Müll. Arg.; thallus cum verrucis pallide flavus s. stramineus et superficie polito-lævigatus, tenuis, rugulosus; verrucæ circ. 1 mm. latæ, globoso-hemisphæricæ, basi constrictæ, vertice rotundatæ v. leviter truncatæ ibique non depresso-concavæ, minute nigro-ostiolatæ, discretæ et simul irregulariter longitrossum connatæ; ostiola sparsa et conferta, demum halone fumoso cincta; sporæ in ascis 2-næ, circ. 110 μ . longæ et 30 μ . latæ, intus non costulatæ. — Similis *P. pycnotheliæ* Nyl., sed thallus et verrucæ stramineæ. — Corticola in Thursday Island Queenslandiæ septentrionalis : Hartmann.

26. **Pertusaria** (§ **Seriales**) **confluens** Müll. Arg.; thallus

flavidus, tenuis, transversim subparallele rimosus et undulatus, in superficie lævis; verrucæ $\frac{2}{3}$ -1 mm. latæ, pro parte oblongo-orbiculares, sæpius confluentim 2-4-plo longiores quam latæ et tum subparallele, basi leviter constrictæ, ambitu et superficie obtuse gibboso-angulosæ, rigidæ, cum thallo concolores, minute sparsim sulphureo-ostiolatæ; ostiola minutula, umbonato-prominula; sporæ uniseriatim 8-næ, 45-65 μ longæ, 20-26 μ latæ, intus læves. — Juxta *P. stramineam* et *P. Araucariæ* Müll. Arg. inserenda. — Corticola ad Toowoomba in Queenslandia: Hartmann, Knight.

27. **Pertusaria** (§ **Seriales**) **albinea** Müll. Arg.; thallus albus, tenuissimus, obsolete rugulosus, demum evanescens; verrucæ concolores, opaco-albæ, circ. $\frac{1}{2}$ - $\frac{1}{5}$ mm. latæ, raro solitariæ et tum hemisphæricæ, sæt regulares, basi constrictulæ, apice haud truncatæ, vulgo in series longitudinales omnino confluentes, sparsim nigro-ostiolatæ; ostiola acute prominula, 15/100-18/100 mm. lata; sporæ in ascis 2-næ, magnæ, 170 μ longæ et circ. 35 μ latæ, intus læves. — Similis *P. tryptetheliiformi* Nyl., sed tota albiore et ostiola majora. Inter *P. melanophthalma* Müll. Arg. et *P. pycnothelium* inserenda est. — Ad ligna sicca vetusta in Queenslandia: Shirley n. 1754 pr. p.

28. **Pertusaria** (§ **Graphicæ**) **paratropa** Müll. Arg.; thallus cinereus, mediocris, crebre areolato-rimosus; areolæ planæ, scabridulæ; verrucæ 1 mm. latæ et minores, concolores, nano-hemisphæricæ, basi nec constrictæ nec sensim in thallum abeuntes, scabridulæ, ostioli nigris paullo depressis orbicularibus et pro parte quasi in lirellas transversas simplices v. bifurcatas abeuntibus præditæ: sporæ 8-næ, biseriales, circ. 50 μ longæ et 22-27 μ latæ, intus læves. — Haud dissimilis europææ *P. chiodectonoidi* Bagl., sed thallus crebrius areolato-rimulosus et verrucæ magis emerse. Hæ verrucæ dein similiter ac sporæ majores sunt quam in proxima *P. macra* Müll. Arg. — Ad saxa arenaria prope Lorne, Victoria: Rev. Wilson n. 528.

29. **Pertusaria** (§ **Graphicæ**) **macra** Müll. Arg.; thallus plumbeo-cinereus, mediocris, tenuiter areolato-rimosus; areolæ irregulares, planæ et læves; verrucæ $\frac{1}{2}$ mm. latæ v. paullo majores (hinc inde geminatim confluentes), nano-hemisphæricæ, ambitu orbiculares aut subtriangulares, basi sensim in thallum abeuntes, vertice depressæ et ostioli confluentibus quasi disco anguloso aut transversim oblongo depresso terminatæ, in margine subacuto et anguloso expallentes; sporæ in ascis 1-2-seriales, 8-næ, 32-36 μ longæ et 17-20 μ latæ, intus læves. — A simili neozelandica *P. erumpescente* Nyl. distat verrucis laminigeris magis emer-

sis et thallo evoluta, rimosa, et dein europæa *P. nolens* Nyl. thallo differt. — Saxicola in Thursday Island Queenslandiæ : Knight n. 262.

30. **Pertusaria** (§ **Graphicæ**) **concava** Müll. Arg.; thallus glauco-cinereus, crebre rimoso-areolatus, tenuis; areolæ planæ et subconcaavæ, læves; verrucæ anguloso-subhemisphæricæ, basi nonnihil constrictæ, vertice late depresso-concaavæ et obtuse marginatæ, 1-4-carpicæ; ostiola omnia in unum confluentia v. seriatim aut tribrachiato-confluentia, latiuscula et nigra, depressa; sporæ in ascis vulgo 6-næ, 1-seriales, hyalinae, circ. 35 μ . longæ et 18 μ . latæ, intus læves. — Juxta *P. macram* Müll. Arg. pertinet, a qua differt colore pallidior, verrucis magis exsertis magisque orbicularibus et basi non sensim in thallum abeuntibus. — Saxicola in montibus Crampians, prov. Victoriæ : Sullivan, a cel. F. v. Mueller missa.

31. **Lecidea** (s. **Biatora**) **aspidula** Krphl. Austr., n. 115 v. **dispersa** Müll. Arg.; thallus dealbatus et disperso-areolatus. — Apothecia adeo perfecte cum specie quadrant ut Lichen specificè segregari nequeat. Sporæ cæterum in specimine viso desunt. — Ad saxa maritima, Thursday Island in Queenslandia sept. : Knight, n. 283.

32. **Lecidea** (s. **Biatora**) **insulana** Müll. Arg.; thallus flavescenti-v. subcinereo-albus, tartareus, crassiusculus, mox areolatim diffracto-rimosus; areolæ superficie planæ, subcontiguæ, ambitu undulato-flexuosæ, intus albæ; apothecia $\frac{1}{2}$ -1 mm. lata, ex innato leviter emergentia, plana, tenuissime marginata v. dein immarginata, novella lurido-fusca, mox autem nigrata, nuda, madefacta haud pallentia, sed leviter virenti-nigra; lamina superne prasino-viridis, cæterum hyalina; sporæ 8-næ, ellipsoideæ, 10-12 μ . longæ et 5-6 μ . latæ. — Prope *L. enterophæam* Knight in vicinitate *L. russulæ* Ach., cui thallo bene accedit, inserenda est. — Saxicola, in Queenslandiæ Thursday Island : Knight, n. 284, 286 pr. p.

33. **Lecidea** (s. **Biatora**) **selenospora** Müll. Arg.; thallus lurido-cinereus, madefactus olivaceo-virens, creberrime cæspitoso-granulosus, granula demum pulvinulato-aggregata, subregularia et anguloso-globosa, circ. $\frac{1}{10}$ mm. lata; gonidia globosa, 7-10 μ . lata; apothecia aggregata, vix $\frac{1}{8}$ mm. lata, livido-fusca et demum nigricantia, nuda, haud distincte marginata, leviter convexa; epithecium æruginoso-nigricans; hypothecium flavescenti-hyalinum; lamina superne præsertim intense æruginosa; paraphyses subliberæ; sporæ 8-næ, 10-15 μ . longæ, 4-5 μ . latæ, semilunatim arcuatæ v. etiam magis incurvo-v. subconniventilunares, utrinque rotundato-obtusæ. — Juxta paraguayensem *L. campy-*

losperman Müll. Arg. systemati inserenda est. — Ad saxa arenacea in New South-Wales : Knight n. 39.

34. **Lecidea** (s. **Lecidella**) **nesophila** Müll. Arg.; thallus albus, subtenuis, rimoso-disruptus, subplanus et simul leviter granuloso-inæqualis; apothecia $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{3}$ mm. lata, sessilia, juvenilia plana et tenuissime marginata, mox alte convexa et immarginata, tota opaco-nigerrima, madefacta leviter fusco-pallentia; epithecium olivaceo-nigrum; hypothecium et lamina hyalina; paraphyses liberæ, apice clavato-capitatae; sporæ 2-seriatim 8-næ, 7-11 μ . longæ et 6-7 μ . latæ. — Juxta proximam *L. sabuletorum* Fries locanda est, a qua recedit colore et minutie apotheciorum et laminæ et sporis minoribus fere globosis. — Ad saxa maritima, Thursday Island in Queenslandia sept.: Hartmann, Knight sine numero.

35. **Lecidea ferax** Müll. Arg. L. Wils. n. 85 v. **geographica**: thallus plumbeus, dein albidus, crebre rimulosus et lineis hypothallinis nigris copiosis irregulariter reticulatim percursus. — Sporæ in specim. visis desunt. — Saxicola, Thursday Island in Queenslandia sept.: Knight n. 237.

36. **Blastenia ochroleuca** Müll. Arg.; thallus ochroleuco-albus, tenuis, continuus, hinc inde subtiliter rimulosus, superficie lævis at impurus; hypothallus niger, subinde perspicuus; apothecia $\frac{1}{3}$ mm. lata, sessilia, crassiuscula, concava; excipulum extus nigro-fuscum et nudum; margo integer et prominens; discus planus, præsertim madefactus virenti-ferrugineo-pruinosis; epithecium flavicans, reliqua interiora hyalina; sporæ biseriatim 8-næ, oblongato-ellipsoideæ, 11-15 μ . longæ, 5 μ . latæ; dissepimentum valde incrassatum. — Fere medium tenet inter *Bl. variabilem* (e Socotra et Costa Rica) et *Bl. polioteram* Müll. Arg. (ex Asia et Africa tropica), thallo non areolato et subalbo priori similior est, sed apothecia colore et pruina bene cum posteriore quadrant, ubi autem thallus plumbeo-carulescens et bene areolatus. — Saxicola, Thursday Island in Queenslandia septentrionali : Knight n° 339.

37. **Buellia amblyogona** Müll. Arg.; thallus albidus, diffracto-areolatus; hypothallus niger undique inter areolas distinctus, crassus; areolæ obtuse angulosæ, irregulares, leviter convexæ, ad marginem obtusæ, sæpe fissæ aut iterum diffracto-divisæ, maculis impressis 2-5 subnigris ornatae; apothecia pauca, areolis majora, 1 mm. lata, sessilia, plana et tenuiter marginata, nigra et nuda; epithecium et hypothecium fusca; sporæ 2-seriatim 8-næ, circ. 12 μ . longæ et 6 $\frac{1}{2}$ μ . latæ, 2-loculares. — Habitu ad vulgarem *B. spuriam* Körb. accedit, sed areolæ hypothallo spongioso separatæ et apothecia multo majora sunt et dein affiniore evadit

B. hypomelænæ Müll. Arg., sed diversa est areolis haud planis, apotheciis magis emerso-sessilibus. Punctula areolarum spermatiis carent. — Saxicola, Thursday Island, Queensland : Knight (sine n°).

38. **Buellia macrosporoides** Müll. Arg.; thallus albido-pallidus, mediocris, tenuiter diffracto-verrucosus; verrucæ juniores planiusculæ et subcontiguæ, irregulares, demum magis turgidæ, apotheciis multo minores; apothecia $\frac{1}{2}$ -1 mm. lata, sessilia, plana et tenuiter marginata, dein convexa et immarginata, opaco-nigra v. excipulum dorso nigro-fuscum; epithecium et hypothecium olivaceo-fusca; sporæ in ascis regulariter 4-næ (semel 5 visæ), 24-28 μ . longæ et 13-16 μ . latæ, hinc inde fusco-suborculiformes. — Juxta *B. macrocarpam* Müll. Arg. inserenda est, ubi thallus alius. — Ad terram coctam ut videtur, Thursday Island in Queenslandia sept. : Knight n. 206, 210.

Genève, 10 novembre 1895.
